



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

Quintilianus, Marcus Fabius

Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665

XXIV. Indemnatus carnificem recusans.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12889

quod in libertate commiseris. Merito mulier suos jam negabat esse, quos læserat: ipsa post tantum furorem, jam sua non erat. Illa dixit, meus non est: at ego dico, meus es. Mater armatum timuit, sed pater servientem (quod est majus) agnoscit.

XXIV.

Indemnatus carnificem recusans.

Lege indemnatorum, interficiendum pater filium carnifici tradidit. Ille vult manu patris interfici: pater ipse, qui fuerat offensus, ultro se non posse facere, quod cœperat, confitetur.

PRO FILIO.

QUam morigerum sibi filium senex iste formarit, nolo aliud indicium, quam, ¹ quod nec patrem lædere, nec mortem recusavit. Mori jussus adolescens, in primis adhuc annis, quo tempore & vita charissima est, & mors acerba, ² non quæro vitam. Si potest fieri, ad hostiam quam diis penatibus vovit, satis sibi fiat meo sanguine, imo & ipse suo: dum non per manum vilem jus pietatis infuset: quia nec juris ratio permittit, ut adhibeatur adversum eum carnifex, ³ in quem non fuit judex. Faciat vitæ finem, qui originem fecit: non de morte cum patre, ⁴ sed de mortis patris genere dissentio. Eripere vis vitam, quam dedisti: non inficiabor, ⁵ quid per alterum petis? Jus, quod tibi vindicas, experire, nemo te prohibet: occide, si potes: confitere, non potes. Nemo unquam magistratum fecit vicarium, nec in alio militavit, nec ⁶ sacra gentilitia infertiva

¹ Quod nec patrem lædere.] Scribe: quam quod, ne patrem læderet, nec mortem recusavit. Idem.

² Non quæro vitam. Si potest fieri, ad hostiam.] Possis malle, non queror, expundo tibi vitam. Sic Decl. 27. Hic vivere jubetur & queritur. Sed quod sequitur. non est arbitrarium. Lege: Si potest, feriat hostiam, quam diis penatibus vovit. Satis sibi faciat meo sanguine, immo & ipse suo: dum non per manum vilem jus pietatis infuset. Idem.

³ In quem non fuit judex.] Suspicio: in quem non sedit judex. Idem.

⁴ Sed de mortis patris genere.] Lego, sed de mortis genere, & paulo post, quid per alterum petis jus quod tibi vindicas? Pithœus.

⁵ Quid per alterum petis? jus, quod tibi vindicas, experire.] Male Pithœus. Nullum jus petebat pater. Vitam petebat, tanquam creditum. inde illud, non inficiabor. At jus experiri proprium & signatum, diximus in Observationibus. Gronovius.

⁶ Sacra gentilitia infertiva.] Scribe: infertiva. Deinde: Vita mihi tolli, sed manu paterna debet. Idem.

festiva stirpe corruptit. Vita mihi tollitur, sed manus paterna debet. Non potes, pater, legis ejusdem & interrogare supplicium, & denegare solatium. Placabo dexteram meam. Cedo, tantisper exosculetur. O manus olim mea, quæ me parvulum sæpe gestasti, quam sæpe lacrymis puer lavi. Erras, pater, qui facilius existimas hujusmodi cædem videre, quam facere.

XXV.

Fortis duo præmia.

VIRO FORTI DUO PRÆMIA. RAPTARUM LEX. POENA RAPTORIS IN DIEM TRIGESIMUM DIFFERATUR. Ex duobus fratribus unus rapuit. rapta mortem optavit, poena dilata est. alter fortiter fecit. Primo præmio petit fratris incolumitatem. impetravit. Secundo, raptae mortem postulat. frater contradicit.

PRO RAPTURA.

DUM dies computo, & à rapta bonum nuntium spero, subito nuntiatur fratrem meum venisse victorem, ² petitam mihi & veniam, putavi pariter & nuptias. ³ Nec dii sinant, ut ⁴ converso jure, pro raptore rapta teneatur. Interdum præstat ad gloriam non certare, quam vincere. Ego, nisi rebus ipsis ostendo, quod amavi, confiteor injuriam me fecisse quod rapui. Lex dicit: RAPTOR AUT PEREAT, AUT DUCAT. Ergo raptori si poena remittitur, ⁵ raptae debetur?

XXVI.

¹ PRO RAPTURA.] Lege, PRO RAPTORE. Pith.

² Petitam mihi & veniam.] Videtur excidisse vox hujusmodi: petitam mihi & impetratam veniam. Gronov.

³ Nec dii sinant, ut converso.] Scio τὸ Nec vetustissimis ἀντὶ τῆς Non usurpatam. In hac tamen formula locis, quibus fidere possis, Ne, non Nec reperio. Habet apud Plantum Bacchid. 3. 3. 64. Mercat. 3. 4. 28. Trinummo 3. 4. 119. apud Livium 28. 28. in fragmento Cor-

nelix Gracchorum matris. Quare & hic malim, Ne dii sinant. Et apud Petronium: Ne istud, inquit, dii sinant, ut eodem tempore duorum mihi carissimorum hominum duo funera spectem. Et apud M. Senecam præfat. controversi. In hoc, ne dii tantum mali, ut cadat eloquentia. Idem. ⁴ Converso jure.] Ex manu sc. converso. Pithœus.

⁵ Raptae debetur.] Haudquaquam. Scribe: Ergo raptori, si poena remittitur, rapta debetur. nempe ut ei nubat. Gronov.